

(3) *Extat integrum in ann. Schiav. MSS. per decem paginas, cui nonaginta viri Albenses subscribunt.*

(4) *Extat apud Schiavina ad h. a.*

(5) *Extat par. I. n. 115. col. 130.*

MCCIV. Sexto nonas martii (1) Derthonæ percussum fuit foedus inter Alexandrinos, & Derthonenses, quo isti sacramento dicto societatem inierunt pro acquirendo Episcopo Aquarum Alexandrinorum nomine, consulibus Manfredo Gualco, Petro Bello, & Andrea Ottobello. Eodem quoque anno Otho Ghilinus Episcopus Bobbiensis, patria Alexandrinus suffectus fuit Archiepiscopus Genuæ in Bonifacii demortui locum; idque ab Archidiacono, & Præposito Ecclesiæ majoris Genuensium, in quos solos ob varias discordias collata erat potestas eligendi Archiepiscopum.

(1) *Extat sub anno 1203. par. I. doc. 118. col. 133.*

MCCV. Septimo idus martii Gullielmus Montisferrati Marchio vestigal oppidi Felizzani dono dedit populo Alexandrino (1).

(1) *Extat apud Schiavinam ad h. a.*

MCCVI. Sexto idus junii Pontificatus Innocentii anno nono (1) hic Summus Pontifex cum maxima intercessisset controversia inter Alexandrinos, & Aqueses de Pontificalibus Ecclesiis, in tam dubia re hoc consilii cœpit, ut uniret ambas Ecclesias; ita ut neutra illarum prærogativam majorem haberet, & unus, idemque Pontifex sedem obtineret. Et ne unio hæc confusionem aliquam induceret, statuit, ut negotia, & causas, quæ ad Ecclesiam spectarent Aquesem, Episcopus cum consilio Aquesium Clericorum obiret; & quæ ad laicos Aqueses cum consilio laicorum Aquesium; idque sive in civitate Aquarum, sive in ejus diœcesi. Idemque statuit de negotiis, quæ pertinerent ad populum, & Ecclesiasticos Alexandrinos; uteretur autem duplici sigillo, uno quo repræsentaret se Episcopum Alexandriae, altero quo Aquesem, ut negotia distingueret hoc ordine. Caterum Chrisma, Baptismum, ac majores solemnitates celebrare eniteretur apud illam Ecclesiam, cujus essent speciales. Idem statuit de Ordinationibus Clericorum. Quodque apud utramque Ecclesiam, vel Diœcesim saltem per dimidietatem anni moram traheret, nisi necessitas immineret, vel aliud suaderet. Ambæque Ecclesiæ Episcopum concorditer eligerent, mox confirmandum per Archiepiscopum Mediolanensem, quod ubi non succederet, Romanus Pontifex is esset, qui illum eligeret. Hoc privilegium maxima cum verborum præfatione Innocentius III. Alexandrinis attribuit, quam hic interfere non pigebit.

„ Ex hac, inquit, supernæ potestatis prærogativa
 „ processit, quod felicitis memoriæ Alexander Pon-
 „ tifex prædecessor noster, attendens fervorem de-
 „ votionis, & fidei, quam ei Alexandrinus popu-
 „ lus tempore gravis, & grandis necessitatis ex-
 „ hibuit, Apostolicæ Sedis auctoritate decreverat,
 „ ut quoniam Alexandrinorum civitas longe major
 „ est, ac populosior, quam Aquesis, Episcopalis
 „ sedes de illa, cujus diœcesi est contigua, trans-
 „ mitteretur ad istam. Ipsi itaque Alexandrini

„ per honorabiles Nuntios tam Laicos, quam Cle-
 „ ricos ad nostram præsentiam destinatos supplici-
 „ ter postularunt, ut quod idem prædecessor noster
 „ provida deliberatione decreverat, nos ejus vesti-
 „ giis inhærentes faceremus executioni mandare.
 „ Sed quoniam ex hujusmodi translatione non so-
 „ lum vestra civitas, sed etiam Papiensis, quæ
 „ Aquesis defensionem susceperat scandalizari plu-
 „ rimum videbatur, nos &c. partes nostras inter-
 „ ponimus ad concordiam, statutum prædicti Præ-
 „ decessoris nostri totaliter moderantes, ut Ale-
 „ xandrinam, & Aquesem Ecclesiam uniamus &c.,
 Eodem anno legitur in quibusdam antiquis scripturis tantam fuisse Alexandrini populi continentiam, ut animadverterent in Petrum Gattum, & Petrum Bavam, qui excubias agebant pro republica, eo quod tabulis lussissent; licentiam quoque dedissent Spaltæ, ut meretricem in domo haberet; & post pulsatam campanam potum exigentibus præberent, quod facere minime poterant, vetante lege municipali: quare publicis officiis privati, & publico testimonio ferendo exclusi fuerunt, & ut in posterum perpetua notati essent infamia.

(1) *Extat in par. II. doc. 19. col. 21.*

MCCVII. Guido Dominus s. Nazarii de mense junii (1) suo nomine, & Rainerii fratris venditionis jure transtulit in rempublicam Alexandrinam castrum Ponzani cum omnibus juribus, quæ in eis prætendebant, Guidone Brignono, Bonifacio de Murandis, Guertio consulibus Alexandriae, repræsentatæque fuerunt hoc nomine pro republica Alexandrina eidem libræ tercentum quinquaginta Papienses. Eodem anno quarto idus octobris Vercellenses renovato foedere, quod cum Alexandrinis habebant, convenerunt, ut acquirendum per eos comunicaretur, ut ipsi promiserunt, & nullos Casalenses, qui tunc extorres e patria erant, in suos cives recipere.

(1) *Extat apud Schiavinam ad h. a.*

MCCVIII. Die 11. decembris (1) D. Opitius Reversatus frustrum signi veræ Crucis Domini Nostri, quod Constantinopoli attulerat eo tempore, quo in potestatem venit latinorum, reipublicæ Alexandriae dono dedit, hoc adjecto pacto, ut illius respublica curam gereret; quodque nec Episcopus, nec Clericus, nec Ecclesia aliqua illius curam suscipere. Eodem anno aquæductus, qui sumitur a flumine Burmida Gamalerium versus, primum confectus est summa cum reipublicæ nostræ utilitate ad munditiam civitatis, & cæli clementiam, Oberto Fontana Placentino Prætoře Alexandrino.

(1) *Extat docum. apud Schiav.*

MCCVIII. Die undecimo mensis aprilis Ugo Torniellus Episcopus Alexandrinus, & Aquesis ob dissidium ambarum civitatum recessit ab eisdem, sed cum illius desiderio maxime tenerentur, compromiserunt in D. Nicolaum de Foro Prætorem Albensem, qui cuncta rimatus votum suum protulit, ut Episcopus frueretur in posterum omnibus prærogativis, honoribus, & juribus, quibus per annum, antequam recederet a dictis civitatibus, fruebatur. Quod Laudum (1) Albæ Pompejæ latum fuit